

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

«**Chiliasmus Millennium, Millenarismus.**»

Selecta ex bibliothecis et archivis. De utilitate ac praestantia litterarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores.

Horae subsecvae. Ad iuvenes Beneventanos, qui litterarum studiis rite confectis, ex lyceo dimittendi sunt, carmen.

De Leone XIII P. M. Commentarius.

De Crypta Benedicti Patris Legifери ad Montem Casinum splendido artis cultu nuper decorata.

Paroemiae sive Adagia. Stylum vertere. — Omne tulit punctum.

Ex Batavia. De exitu certaminis poetici Hoeufftiani an. MCMXII.

Acta Pontificia. Constitutio Apostolica de novo ad Lateranum Seminario

deque aliis institutis in Urbe pro romano italoque clero.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione S. Officii. — Ex Congregatione Rituum. — Ex Pontificia Commissione de Re Biblica.

Diarium Vaticanicum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. Annales. Balkanicum novum discrimen. — Ex ultimo Oriente.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Aenigmata.

Appendix: Ad Romanam.

“CHILIASMUS, MILLENIUM, MILLENARISMUS”

Circa veritates eschatologicas, idest de ultimis hominis, vel *de Novissimis*, primis Ecclesiae saeculis, non leves surrexerunt errores.

Quidam ex iudaica religione ad Christianismum conversi, ac propterea Iudeo-christiani appellati, antiquae Legi nimio addicti amore, in Montanismum atque Chiliasmum prolapsi sunt. Ab Iudeorum fabulis atque a gentis iudaicae conceptionibus sine dubio originem dicit error, qui triplici donatur nomine, idest « Chiliasmi, Millenii, Millenarismi », quique saeculis secundo et tertio inter aliquos ex Christianis diffusus fuit. Ista credentes, ait S. Augustinus, (1) « Chiliastas appellant graeco vocabulo, quos verbum e verbo exprimentes, nos possumus Millarios nuncupare ». Chiliasmi error, qui saeculo quinto non supervixit, a protestantibus quibusdam saec. XVII et XVIII, immo et a catholico theologo Schneider († 1881) in forma tamen mitigata, iterum eductus fuit. Recolendum igitur est, quid Millenarismus docuerit, quaenam occasiones originis illius, quinam fautores, quaenam repugnantiae eiusdem cum Ecclesiae doctrinis.

Chiliasmus idem sonat ac « Regnum Christi mille annorum in terra ». Videlicet: « Filius hominis glriosus in terram descendere debet, atque cum iustis in civitate nova Ierusalem per mille annos regnare. Post regnum huiusmodi, generalis resurrectio, iudicium et finis omnium rerum, necnon aeterna bonorum felicitas locum habebunt; ita ut retributio, quae statim post mortem datur, ad tempus sit, et non nisi post finale iudicium fiat definitiva ».

Duplex fuit Millenarismi forma, altera *subtilis et mitigata* altera *crassa*. In forma Millenarismi mitigata et subtili gaudia sensibilia excluduntur; in forma vero

Millenarismi crassa, gaudia sensibilia spiritualibus iunguntur. (1)

In origine Millenarismi assignanda, praeter scripta apocrypha, ad Iudeorum ideas et fabulas, atque ad non rectam interpretationem nonnullorum verborum Apocalypsis S. Ioannis recurrentum est. Iudei siquidem, regnum Iesu Christi temporale per mille annos duraturum exspectabant; quia vero Jesus Christus exspectationem huiusmodi suo primo adventu non adimpleverat, ideo quidam inter Christianos existimaverunt Christum secundo novoque adventu exspectationem illam esse adimpleturum. Praeterea, in sensum Millenarismi a quibusdam christianis fuerunt intellecta verba S. Ioannis (Apoc. II, 5, 7): « Haec est resurrectio prima. Beatus est sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors non habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo ».

* * *

Eusebius refert (2) verba Caii Cerinthum de Millennium errore accusantis. Verba eius haec sunt: « Post resurrectionem regnum Christi in terris futurum, ac rursus homines Hierosolymis degentes cupiditatibus et voluptati obnoxios fore ». Cerinthus propterea defensor Millenarismi et quidem crassi fuit. Tertullianus etiam Millenarismi errorem admisit, et in eiusdem favorem, Ezechielis Ioannisque auctoritatem invocat: « Confitemur in terra, - inquit ipse, (3) - nobis regnum promissum; sed ante caelum sed alio statu, utpote post resurrectionem in mille annos, in civitate divini operis Ierusalem caelo delatam. Hanc et Ezechiel novit (XLVIII), et Apostolus Ioannes vidit - (Apoc. XII) ».

A paucis inter Millenarismi defensores, S. Iustinus et S. Irenaeus adnumerantur. Primus, quia de partiali

(1) Cf. Tixeront, *Histoire des dogmes*, I. *Les Hérésies du 2.e siècle*, §. 8.

(2) *Hist. Eccl.*, I. 3, c. 28.

(3) *Adv. Marcionem*, I. 3, c. 24.

resurrectione a Millenarismo edocta videtur loqui dum scribit: (1) «Ego autem et qui recte in omnibus sentiunt Christiani, et carnis resurrectionem futuram scimus, et mille annos in urbe Ierusalem aedificata et ornata et amplificata; quemadmodum Ezechiel et Isaia et ceteri prophetae promittunt».

Alter, quia in Millenarismi defensionem Isaiae et Ezechieli textus afferre videtur dum ait: (2) «Ipse Isaias manifeste annuntiavit tale gaudium in resurrectione iusterum futurum... Hoc idem et Ezechiel... Si autem quidam tentaverint allegorizare haec, quae eiusmodi sunt; neque de omnibus poterunt consonantes sibimetipsis inveniri». Assertioni huiusmodi contradicunt alii pro quibus tum S. Iustinus, tum S. Irenaeus asseruerunt (3) errorem Millenarismi a christianis orthodoxis non admitti, et qui non admittunt, putantur, recte credisse; vel fatentur praedictos Patres Millenarismi «formae mitigatae» nobiliorique adhaesisse, prout videlicet Millenarismus, statum quedam idealis felicitatis Ecclesiae designabat. (4)

S. Augustinus (5) de Millenarismi errore loquens, scribit: «Etiam nos hoc opinati fuimus aliquando»; postmodum vero, Apocalypsis (XX, 4) verba recte interpretatus est.

**

Millenarismus, alienus est a mente Christi, qui nunquam de gaudiis sensibilibus, a «forma crassa» Millenarismi assertis, loquutus est. Scriptura rursus, non nisi de unica universalis resurrectione loquitur, non vero de prima et secunda, uti Millenaristae affirmant. Nonne Christus (Ioa. V, 28) ait: «Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei?» Et (Ioa., VI, 32): «Omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die»? Nonne Apostolus, bonorum malorumque simultaneam resurrectionem describit ad Corinthios (I. Ep. c. XV, 52): «In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti: et nos immutabimur»? Ex Ecclesiae magisterio edocti, scimus praemium vel poenam alternam animabus post mortem tributas definitiva, non temporanea esse. Contrarium a Millenarismo asseritur. Propter quae omnia, dum Millenarismum reiiciimus, verba S. Hieronymi p[re] oculis habemus: «Quae qui recipiunt mille quoque annorum fabulas, et terrenum Salvatoris imperium iudaico errore suscipient, non intelligentes Apocalypsim Ioannis, in superficie litterae medullata Ecclesiae Sacraenta contexere». (6)

REGINALDUS FEI O. P.

(1) *Dial. cum Tryph.* 80, 81.(2) *Cont. Haeres.*, 5, 34-35.(3) TIXERONT, l. c. S. IUST. *Dial.*, 80. S. IREN. *Adv. haeres.*, V, 31, 1.(4) *Specht. Dogmatik*, II, B. § 174.(5) *De Civit. Dei*, 20, 7.(6) *In Isaiam*, I, 9, c. 30, in fine.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIS

De utilitate ac praestantia litterarum humaniorum adversus quosdam earum vituperatores. (1)

Permultos esse intelligo, qui de his litteris, quae humaniores vocantur, eam animo imbibere sententiam, ut earum tractationem leve quidam esse, ac nugatorium existiment, neque aut magnos admodum labores ab iis suscipi, qui eas iuventuti tradant, aut eorum magnopere fructuosam esse Reipublicae industriam, in iis denique non exquisitam ullam, ac reconditam, sed circumforaneam quandam, haustamque de triviis ac circulis requiri doctrinam putent. A quibus ego quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum munus esse contendam, neque ullos esse, qui aut laborum plus perferant, aut maiores in Republica pariant fructus; doctrinae denique a nullo hominum genere maiorem aut copiam requiri, aut varietatem arbitrer, constitui hodierno die, eam mihi ad dicendum materiam sumere, et nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, a contemptu atque intolerabili ineruditorum hominum insolentia vindicare. Et vero quid aut huic tempori, aut omnino meo muneri facere convenientius possum, quam ut, quae mihi studia celebritatis aliquid cum aliis in locis, tum haec ipsa in civitate pepererunt, a quorum ego veluti fontibus ad hanc quantumlamicunque profluxi hominum famam; iis quoque vicissim oratione mea splendoris ac claritatis afferre aliquid coner? Praesertim cum qui hoc litterarum genus aspernantur, facere nullo modo possint, quin de vestra, patres amplissimi, singulari, spectataque in omnibus rebus, ac pene divina sapientia non nihil eadem superbia detrahant. Etenim si haec tota res tam levis est, quam isti eam videri volunt, quae vos tandem causa commovit, ut proximo superiore anno, propositis publice libellis, studiosorum hominum animos ad nobilem illam ingenii doctrinaeque contentionem excitaretis, utque iis, qui vobis in certamine probati essent, honestissimum postea praemium ex aerario decerneretis? Quae certe una res ad coercendam istorum temeritatem satis ponderis habere debebat, ut si habetiores eos natura, stolidioresque finxisset, quam ut pervidere harum rerum praestantiam possent, quod tamen vestro, talium virorum iudicio probatum foret, magnum esse aliquid, ac praeclarum suspicarentur. Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non moventur rationibus, agendum est, adeste animis, mihiq[ue] breviter ostendenti, quam varia, quamque multiplex eruditio requiratur in iis, qui litteras humaniores docent, eademque opera quantos ex eorum navitate atque industria Respublica percipiat fructus, non aures modo, sed mentes quoque attentas, quaeso, paulisper adhibere. Atque adeo, ut haec tota controversia melius dijudicetur, operae pretium est, initio, quaenam sit istorum contemptorum humanitatis oratio, cognoscere. Qui quoniam eos, qui hasce litteras tractant, ad nullum fere maioris momenti negotium adhiberident, non ad iudicandas lites, non ad agendas causas,

(1) Cfr. num. sup. — Oratio haec habita est Venetiis postridie non. Octob. ann. MDLV.

non ad dicendam de rebus gravioribus sententiam; facile in eam opinionem prolabuntur, ut ab eis, praeter poeticas quasdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compositas, et aliquot levia comendae ac poliendae orationis praecepta, nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotii est, inquiunt, in puerorum consessu de eiusmodi figmentis commemorare, ac modo de Thebano, modo de Troiano bello, modo de Ulixis, aut Aeneae erroribus, molli, et ad inanem oblectationem composito sermonis genere disserere; identidemque velut e quibusdam areculis accommodata colorandae orationi pigmenta depromere? Ecquae autem magna eruditio est scire, quot navibus Graeci ad oppugnandum Ilium accesserint; quot filios habuerit Priamus; Helenam rapuerit Alexander, ut Homerus, an Helenae simulacrum, ut Euripides prodidit? quod emolumenntum ex istorum omnium scientia; quod detrimentum ex ignoratione percipi potest? Nam ceterarum quidem artium professores quantum utilitatis afferant, perfacile est ad intelligendum. Sive enim dialecticos species, ab iis certa quaedam veri falsique in rebus omnibus cognoscendi ratio traditur: ii se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quoque efficiatur; quae sit dividendi, quae finiendi, quae argumentandi ratio, tenere, et alios docere p[ro]se ferunt. Quid physici? qui rerum principia causasque tractant, qui, quomodo quidque gignatur, quoque modo intereat, edisserunt; qui nimborum, fulminum, tempestatumque causas; qui corporum caelestium magnitudines, intervalla, cursus, progressiones, institutiones; qui animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuram; qui stirpium, qui omnium ferme rerum, quae gignuntur e terra, naturas ita persequuntur, nulla ut pars ab eis caelo, mari, terra, ut poetae loquuntur, praetermissa sit; haec cum tractant, medio criter ne reipublicae prosunt? Nam si ad eos te convertas, qui eam suscepserunt philosophiae partem, in qua de rebus expetendis fugientisque disseritur; ii vero sunt, quorum industriae nulla unquam poterunt praemia satis ampla reperiri. Quibus enim, quamque praeclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus? Qui hoc primum docent, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum bonorum omnium; quod unum, intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteat; quod sint virtutum, quaque vitiorum genera; quibusque modis illas assequi, ab his declinare possimus; quo modo exultanti, iactantique se et detrectanti rationis imperium, frenos iniuste oporteat cupiditati; tum quo modo quisque se in re familiari gubernanda gerere debeat; postremo quo nihil pulchrius, nihil praeclarius, nihil denique divinius, ne votis quidem conceptis optari potest, quibus moribns, institutis, legibus temperandae sint civitates; quibus illae modis fundari atque institui, quibus augeri, atque amplificari; quibus denique copiosissimae, locupletissimae, uno verbo, beatissimae effici possint. O res praeclaras, et ardentissimo studio, summaque corporis atque animi contentione dignissimas! O vitae philosophia gubernatrix! O virtutum omnium parens, vitiorum omnium expultrix! Tuum est falsarum opinionum temeritatem diripere, tuum est omnem inanitatem et errorem amputare ac circumcidere; tuum est vitiorum fibras

evellere, stirpes elidere, semina extinguere. Merito di-
vinus Plato nihil te praestantius hominum generi a Diis
immortalibus dari potuisse dicebat. Eant nunc isti ver-
borum magistri, fabularum interpretes, nugarum archi-
tecti, perfricent frontem, si quam habent, et se ulla
ex parte cum philosophiae doctoribus conferendos esse
praedicent. Qui si aliquid forte paulo abstrusius lo-
quendi genus, aut aliquam voculam non ita pervulga-
tam, aut quampiam paulo reconditiorem fabulam repe-
rire potuerunt, dignos se inaurata statua putant, non
nunquam etiam de eiusmodi tricis ita inter se digla-
diantur, ut pro aris et focis certamen suscepisse vi-
deantur, Haec fere est eorum, qui studia laboresque
nostros deprimere conantur, oratio; qui quod philosop-
hiam laudant, libentibus id nobis, atque approbantibus
faciunt; nunquam enim cuiquam concedemus, ut eam
plus amet, plurisve faciat; quod autem nullum censem
studiis atque artibus nostris cum ea esse commercium;
in eo quantopere fallantur, facile ex iis, quae dicturus
sum, intelligetur. Nam primum omnium, si hoc ipsis
concederemus, nihil aliud nobis quam poeticas fabulas,
et exornandae orationis praecepta tradi, non ex eo tamen
efficeretur, quod isti volunt, inanem quandam, et ludicram nostram omnem esse doctrinam, neque alio,
quam ad puerorum animos, vana quadam oblectatione
demulcendos, referri. Etenim poetarum fabulae, quas
isti tantopere exagitant, et frugis experitia otiosorum
hominum commenta sunt; immo vero sub eis, velut
involueris, atque integumentis, omnis doctrina elegans,
omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique
sapientia continentur. Eratosthenem quemdam fuisse
aiunt, qui poeticem ita contemneret, ut Homerum ineptae
loquacitatis magistrum nominaret. At certe Plato, ac
Aristoteles, quorum non paulo maior est, quam nescio
cuius Eratostenis, auctoritas, ita saepe repetitis ex eo
testimoniis utuntur ad confirmando ea, quae tradunt,
ut eum non tantum studiosissime legisse, sed vix un-
quam de manibus deposuisse videantur. Itaque mirari
soleo, cum quidam, qui se philosophos videri cupiunt,
et quidem eiusmodi philosophos, ut tamquam Atlante
caelum, ita philosophiam supercilie suo niti putent, ita
despicatui ducunt poetas, ut eorum scripta adspicere
se dignari negent. Qui quidem cuiusmodi philosophi
sint, ipsi viderint, cum eos contemnant, quos philo-
sophorum coryphaeus Plato, modo sapientiae patres ac
duces, modo deorum interpretes, modo deorum filios
vocat. Aristoteles autem, cuius isti se germanos esse
interpretes gloriantur, non tantum, ut ante dixi, in
omnibus scriptis suis identidem poetarum testimoniis
utitur, verum etiam libro primo de sapientia, philoso-
phum omnem, fabularum amatorem esse confirmat.
Quod igitur Aristoteles esse se aiunt; fortasse verius,
sine dubio quidem verisimilis dicent, si se ab Epi-
curo esse affirmarent; hunc enim ex omni memoria
unum fuisse philosophum accepimus, qui cum omnem
elegantiam doctrinae, tum poetarum praecipue scripta
contemneret. Quod quidem se negligendis poetis, ex
Aristotelis disciplina ac familia censi volunt, in eo,
meo quidem iudicio, faciunt et impudenter, et impe-
rite. At enim id mihi hoc tempore propositum non est,
ut de poetarum laude dicam; quod si esset, facile os-

tenderem, omnia praeceptae vitae, omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius, quam a philosophis ipsis, doceri. Non igitur, cum poetarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos ducimus; sed sementem quandam virtutis atque doctrinae facimus; non in levibus, minimeque frugiferis rebus operam sumimus, sed praecepta sapientiae, quo facilius in animos influant, insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. Quid, cum ornatae ac copiose loquendi praecepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quae semper principem locum in omni bene instituta civitate tenuerunt? An nescimus, eloquentiam a gravissimis auctoribus rerum omnium reginam vocari? Haec enim est illa virtus, quae quamlibet in partem arbitratu suo flectit audientium animos, eosque pulchritudinis suae splendore obstupefactos, quibusdam velut habenis numerosae orationis regit. Haec illa est, quae consolatur maerentes, afflictos excitat, iacentes erigit; quae sceleratis exitio est, innocentibus praesidio, improbis terro里, probis ornamento. Hac Cicero fretus Catilinae furores et nefarie in patriam inita consilia dissipavit; hac togatus superavit armatos, ut vel inimicorum confessionem omnibus triumphis maiorem adeptus lauream diceretur. Hac instructi qui sunt, maius omnibus tyrannis imperium in homines obtinent. Siquidem tyranni possunt illi quidem corpora constringere; animis nullam adhibere vim possunt: hi vero dominantur in animis; quaeque ipsis honesta atque utilia videntur, ea non facere modo alios, sed etiam velle cogunt; illi invitatis imperant, hi volentibus; illi et oderunt omnes, et odiosi sunt omnibus, hos in omne hominum genus beneficos, perpetua omnium benevolentia comitatur. Neque vero qui eloquentiam contempnere se simulant, illius praestantiam intelligunt; sed quod assequi non queunt, invidiose vituperare malunt, quam ingenue de imbecillitate suarum virium confiteri. Orationis igitur meae summa eo credit denique, etiam si nihil aliud a nobis requireretur, quam ut explicaremus poetarum fabulas, et iuventuti quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire posset, indicaremus: tamen neque mediocriter reipublicae prodesse nos, neque parvis in rebus contemnendisque versari. Nunc tantum abest, ut ea solum requirantur a nobis, ut nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio, cuius non aliqua cognitione oporteat tinetum esse eum, qui munus hoc cum laude sustinere meditetur. Itaque hoc inter nos et alias interest, quod alii eos tractant scriptores, quorum uno aliquo de genere tota disputatio est. Non enim fere in libris dialecticorum, physicorumve, aut in iis quibus medicinae iurisve civilis scientia continetur, quidquam reperias, cuius intelligentiam non ex illis ipsis, de quibus inscripti sunt, artibus repetere possis; at nobis ii quotidie sunt explicandi libri, qui cum scripti sint a viris omnium scientia exultis, ipsi quoque innumerales locos ex omni disciplinarum genere depromptos habent. Itaque ceteri, etiam si eam unam artem teneant, quam docent, aliorum omnium sint omnino rudes, tamen sufficere posse suo muneri existimantur; neque unquam, aut medico turpe habitum est, nescire leges; aut iurisperito, vel medicinam, vel astrorum scientiam non tenere. Nos uni sumus, quibus omnis illa libera-

lium artium varietas non pertractanda quidem, ac pernoscenda penitus, sed degustanda tamen, et delibanda necessario est. Non longe abierimus. Superiore anno Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare meminerunt, qui tum aderant, in quibus alios propemodum omnes iuris civilis ignoratio fefellerat? Libros eiusdem de finibus nunc ipsum interpretandos suscipimus. Quam multa nobis ex omnibus philosophiae partibus depromenda erunt, quibus ignoratis, hos quoque libros ignorari necesse est? Quid astrorum ratio? quid terrarum situs? nisi qui haec ultraque utcumque teneat, satis ne se quisquam idoneum poetarum interpretem profiteri potest? Et tamen, usque eo alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos, ac iocari, et nihil docendo aliud, quam puerilem voluptatem auecupari putent! Nam illud quoque minime praetermittendum est, quod agrariorum artium doctoribus neque ornata, neque elegans, neque multis quidem in locis, latina oratio postulatur. Itaque ruant licet in dicendo, et impure, improprie, barbare loquantur: suo id eis quodam iure licere creditur. At nobis dicentibus sunt, qui quosdam quasi laqueos tendant; ut si quid exciderit parum expolitum, diem nobis continuo dicant violatae latinitatis. Quodque postremae iniquitatis est, peccare nos putant, nisi in iis etiam, quae subito fundimus, plurimi illigati sint, et verborum, et sententiarum lepores. Quae cum ita sint, quis est, qui non intelligat, si hominum exspectationi huius professionis satisfacere cupiamus, infinitos esse nobis labores exhaustiuros? Desinant igitur, desinant isti alienae industriae contemptores, gloriae obtrectatores; comprimant vocem stultitiae atque inadvertiae indicem. Vos vero, patres amplissimi, pergitte, ut facitis; benignitate vestra labores nostros fovete; ut haec florentissima, et bonarum artium studiis deditissima iuventus, exercitationibus hisce nostris ad virtutem praeparata atque praeculta, vestram olim in hac felicissima Republica gubernanda sapientiam facilius imitari queat. Duxi.

M. A. MURETUS.

HORAE SUBSECIVAE

AD IUVENES BENEVENTANOS
QUI LITTERARUM STUDIIS RITE CONFECTIS
EX LYCEO DIMITTENDI SUNT

CARMEN

*Advenit tempus, iuvenes, diesque
Clastra quo ludi nimium petentis,
Vinculis fractis rigidi laboris,
Linquere fas est.
Nempe vos omnes studii palaestra
Terruit monstrum quasi turpe visu,
Pressit et longos humeros per annos
Pondere magno.*

*Ut metum fictum pueris anile
Inicit multis, referens triformem
Vel feram, aut Orcum ingluvie voraci
Nil miserantem...*

*Hinc iuvat, curis vacuos, per oras
Ire, laetantes per aperta terrae,
Cursu et effreno validas novasque
Cogere vires.*

*Strata pratorum zephyris tepescunt,
Effluunt rivi laticum sonantes,
Imperat campisque Ceres batis
Aurea circum.*

*Ilicis ramis philomela cantat
Abdita et cantu variii tenoris
Gnara concentus modulatur omnes
Aemula plectri...*

*Dulce, dum caeli nimio calore
Curcta labuntur, medius diesque
Saevit aestivus, nemoris sub umbra
Degere densa.*

*Dulciss vero renovare cursum,
Quaque et hoc anno, studiis vacando,
Ceperit quisquis meminisse grata
Mente placbit.*

*Vidimus Plauti numeros salesque,
Et quibus verbis parasitus aures
Subdole placet domini, superba
Fercula carpens.*

*Iamque Lucreti licuit gradatim
Artis insignis penetrare quaedam:
Vidimus parvas atomos fluendo
Gignere mortem . . .*

*Ille nec scriptor brevis et profundus
Cuius est causas penitus referre,
Arduus quamquam, Tacitus palaestra
Unus abivit.*

*At quid o Flacci memorem poësis
Uberem fructum? Quid acumen eius
Menis? et præcepta? quid et levamen
Illius artis?*

*Nonne ditavit lepidus poëta
Singulum multis monitis acutis?
Scripta quam mox num decet inscienter
Edere vulgo?*

*Nonne picturae similis poësis?
Optimum vatem decet et litura
Nonne? scribendi et sapere est origo
Maxima recte?*

*Verba provisam poterunt libenter
Rem sequi: punctum tulit omne dulce
Utili miscens: rude nil valebit
Ingeniumque...*

*Multa nam quisquis monet aestimanda
Versus, ut rerum pretiosa gaza,
Unde tu plenis manibus per aevum
Sumere possis...*

*Mitto nec dulcem Sophoclem, Creontis
Iura qui pinxit populis timenda,
Quique fraternalum celebravit aestum
Antigoneum.*

*Euge: tollantur studiis vetustis
Gratiae et plausus, animique sensus
Palpitent illis, velut ob figuram
Dulce canentis.*

*Ite: splendescat, tenebris fugatis,
Iugiter sidus, generosa Samni
O iuventus: et tibi vita donet
Commoda multa.*

*Flamma virtutis micet usque luce
Fulgida: pulchri species ocellos
Excitat, sensus graviore nisu
Vilia spernant.*

*Corda nunc sursum: petere est cacumen
Laudis, ut cautes gelidas viator
Alpium fortis petit et pruinis
Despicit altas.*

*Scande confidens iuga: ridet illic
Praemium metae procul atque nictat:
En gradum, spretis nivibus geluque
Perge, animosa.*

*Atque ubi dulcis patriae vocarit
Sors amoena et litius per oras
Italas stridet, gladio coruscans
Fortiter insta...*

*Nonne pugnantes Libycis arenis
Gloriae sertis caput haud caducae
Vinciunt? fama super atque noti
Aethera surgunt?*

*At procul specta memoranda signa
Istius terrae, tibi quae alimentum
Dulce largita est gremioque fovit
Mater ut alma.*

*Hic enim aetatis monumenta priscae
Atque honor, rerum seriesque fulget
Longa clararum: micat inde fastus
Urbis avitae.*

*Quidquid attingis, pede vel peragrans
Conteris, volvisse leve et minutum
Frustum, testis decoris superbi
Assula stabit.*

*Nittitur pilis sinuata moles
Fornicis, prisci monumenta fastus:
Prostypis surgit redimita circum
Aurea porta. (1)*

*Principi Nervae genito dicatus
Arcus Augusto, notal et triumphum
Numinis clarum et bene facta bellum,
Marmore sacrum.*

*Cernis alata ut mulier decoro
Vestis ornatu facieque pulchra
Flamulam victrix reserare iussa
Brachia tendit?*

*Virgo et insignis pharetra triformis,
Cruribus nudis, speciosa vultu,
Vestit angustam tunicam, pudenter
Pexa capillos?*

*Splendor et clarus capitum decusque
Funditur longe, foliis superbum
Caule ut incincto calicem recenti
Lilia tollunt?*

*Pontium cernis veterum ruinas,
Signa pilarum ruta, compitorumque:
Illi cernis quoque dicta quae Regina viarum est...*

*Est et hic duplex obeliscus, aerae
Isidis quondam celebri dicatus,
Sunt et, heu terra, miserum, theatri
Rudera tecti!*

*Non ego scurrae memoro Vatini (1)
Quatuor nasum calicem, nec illam
Asperam nodis ferulam unde Flaccus
Verbera sensit.*

*Ast tuam laudem celebrans tuamque
Gloriam, laetor, quasi fastus omnis
Priscus occurrat mihi, laude digna
Urbs Beneventum.*

(1) Ita, monumentum hoc, scilicet Arcus Traianus, appellatum fuit usque ab anno 774. Vide DE VITA: *Thesaurus antiquitatum Beneventanarum* (Rome, ex typogr. Palladis, 1754).

(1) Vatinius, Beneventanus, alumnus sutrinae tabernae, facetus securilibus notus, corpore detorto fuit ac grandi naso. Vitreorum artifex, cervices effingebat rostra quatuor, velut nasos, protendentes: ab eo enim *Vatiniani calices* appellati sunt.

De Vatinio vide IUVENAL., Sat. V:

*Tu Beneventani sutoris nomen habentem
Siccasib[us] calicem nasorum quatuor....*

V. etiam MARTIAL. Lib. 14, Epigramm. 96, et TACIT. Annal. 15.

*Hinc mihi salve, docilis iuventa,
Cuius est factis decorare pulchris
Hoc solum, laudum caput et novarum
Cingere sertis.*

*Perge, quo tendis, salebrasque temne,
Flosculos carpens per amoena prata,
Et ove sensus animi levaque
Membra quiete.*

*Gaudium exopto comitetur usque,
Ausa dum effingis valide parentum,
Sors et haud fallax referat laborum
Praemia iusta.*

*Nec tui excedat vigilis magistri
Mente, per vitae spatium, figura:
Heu fluit quidquid, tamen ipse restat
Pectore sensus!*

Beneventi, a. d. xi kal. Iul. a. MCMXIII.

MARCUS GALDI.

DE LEONE XIII P. M. COMMENTARIUS⁽¹⁾

In omni procuratione rei publicae omnes eum actorem auctoremque habebant.

Utinam sententiam eius essent omnes secuti! Sic Parentem christiana gentis supremum improbi calumnia haud obruissent. Namque hi passim subito atque in posterum in Pontificem iacere consueverunt, quam falso vocabant, Perusinam caedem. Ipse enim ne in suos vel criminis insimulatio caderet, proposuit ut, in rebus Perusii componendis, supremus militum dux ex Gallorum copiis agmen reciperet, quod Romae versabatur. Ne verbum quidem quis esset ausus in Gallorum imperatorem, tunc faustum Subalpinorum socium, hac de re promere?

Apud Perusium enim, ad regni confinia positum, colluvies hominum confluxerat, idque a principe rebellavit, rebusque novis extemplo insolescens studuit. Sed ecce adfuit Pater, qui benignitate docuit, impotentiam animorum auctoritate refraenavit.

Improborum convicia et audaciam aspernatus, novis rerum ordinibus advenientibus, certus cuilibet se obiectare periculo, christiana sapientiae vindex adstitit, et sollertia consilio, scriptis iura Ecclesiae mordicus retinuit atque adseruit. Difficillimo illo tempore in Eum nedum fideles ipsi concreti, sed omnes fere Itali tamquam in acerrimum veritatis magistrum respiciebat.

Iuvabat enim identidem in civitatis commotione vel suos monere de sancta religionis institutione, vel a

(1) Cfr. num. sup.

falsis praedicantium erroribus eos prohibere, et diuturnam doloris acerbitatem, quantum in se esset, Patri lenire. Idque sapientissime obsequitur modo Epistolis suo nomine ad populum datis, modo omnium quoque Provinciae Episcoporum officio. « Quis ipso, aiebant, rectius, quis aptius hoc poterit munere fungi, ad haec maiore fruitur auctoritate vel apud novos rerum arbitros, dum Galli, sub ductu imperatoris Napoleonis III, et Subalpini, ductore suo rege Victorio Emmanuele II, graviter adversus Austriacos in Insubria praeliantur? »

Ephebos in religionis spem succrescentes, legibus datis, apertisque novis gymnasiis, auctis ministeriis, sanctiore disciplina instituere alacer studuit. Quo melius voti compos esset, in iis pietatem erga Virginem Matrem impense fovit, et verbis atque exemplo impigre ad hanc promovendam populos excoluit. Uno verbo, per omnes temporum vices, veteris disciplinae atque optimorum studiorum sospitator adparuit.

Aedes pontificales novo cultu exornavit, eo tamen admodum spectans, ut ad puerorum Collegium facilius ipse accederet, et portas, qua posset pro arbitrio in Seminarium introgredi, aperuit. Illuc se se, dato tempore, conferebat, et laetus inter pueros versabatur, quo se modo haberent peramantius postulabat, eorumque studia curiosius curabat. Quadam die, absente forte schola magistro, ipse ultro illuc adiit, et, ne quid esset discipulis detrimenti, pro re nata, admirantibus, juvenili eruditione, locum ex oratione Ciceronis enucleandum tradidit atque interpretatus est; dum alumni, incerti sunt, quid potius laudibus extollerent, doctorisne sapientiam an patris dulcedinem.

Sic quoque sacerorum administros, quibus excelsi animi firmitate ac doctrina praeluet, ad exemplar vitae prioris optime in se animatos fingit. Qui coniunctissimi cum ipso vivebant in Dei amore et religionis studio, eumque parentem dulcissimum intuebantur.

Mutuo pectoris amore, ipse excellentes aliquo genere sacerdotes carminibus laudare, item ex sacris virginibus optimas quasque celebrare consueverat.

Inter eos, veluti princeps vel ingenio vel erga Parentem voluntate, adnumerandus est Ieremias Brunellius, politiorum litterarum magister idemque poeta suavissimus. Ei saepe carmina dicavit Noster, quae identidem laudatus in italicum sermonem eleganter reddebat. Prae ceteris paucula memorabo, quibus et Parentis amorem eruere poteris filiique benevolentiam, qui gratulabundus officiosissimas Ei litteras dabat:

*Dum Senae Adriacis, Cancri sub sidere, in undis
Messor, caerulei mulcet et aura freti,
Me salvare iubes, et pignus mittis amoris,
Vota, adfert Ioachim quae mihi sacra dies.
Quae sit par dono, dulci iucunda Poëtae,
Quae, Brunelli, animo gratia digna tuo?
Carmina carminibus, votis et vota repandam.
Te bonus incolumem sospitet usque Deus.*

Antequam vero ad maiora accedo, aliud carminum specimen hoc loco proponendum optime putaverim. Et nobis se se primus offert sacerdos antiquae pietatis et continentiae, nomine Nicolaus Pompilius, qui erat recti tenax, ad consilia prudens, et Curionis munere apud Prunetenses diu integreque fuerat functus. Quo facto canonicus maximi Perusini templi conclamatus est, sacroque Seminario regundo praeficitur. In eius honorem haec carmina composita, mira simplicitate animique candore eximio :

Pastor ad exemplum, Pruneti in dulcibus arvis

Sufficit tenero pascua laeta gregi.

Rector ad exemplum, fingenda pube peritus,

Florere hanc studiis, hanc iter atteneret,

Se duce, virtutis docuit: laus inde superstes,

Famaque Pompilium non peritura manet.

Quid excogitari dulcius, quid et dictu rapidius, quam carmen, quod in honorem Petri Penna mox exaravit? Petrus Penna, curio sanctissimi exempli fuerat, admirabili pectoris simplicitate, multorumque recte factorum memoria clarus. Eum sic Noster laudat:

Fortunate senex, dulcis dum vita maneret,

Te candore animi, te pietate, fide,

Aequabat nemo, laetis in rebus, in arctis

Delicium populi, Tu, bone Pastor, eras!

Haec aliaque multa ex compluribus quae passim, arrepta occasione, componebat, e communi naufragio ad nos enatarunt, sieque adhuc doctorum solatio oculisque usurpantur. Quae vulgo omnes admirabantur, etiam nunc leguntur; cetera nobis aetas invidit, ni potius dicam, ipsa auctoris modestia.

Obiter memorabo anno millesimo octingentesimo tertio et quinquagesimo, a Pio IX P. M. omnium laetitia Nostrum inter Patres Cardinales adnumeratum fuisse. Quod iamdiu ipse Leopoldus Belgarum Rex, ut aliquod esset suae admirationis testimonium ei proficiendi praenuntiaverat, quodque universi auspicari consueverant, compositis tandem in Urbe rebus, plaudentibus omnibus, perfectum est. Incredibile dictu est, quo gaudio, quibus populi solemnitatibus, rem acceperint Perusini, quorum animi erga Parentem in immensum creverant, quod vir singulari virtute ac pietate praeditus, tot esset honoribus decoratus.

Ipse enim per triginta et amplius annos antiqua fide atque vitae integritate ita se omnibus probaverat omniumque ad se benevolentiam devinxerat, ut nihil ei quod ad res suas spectaret confidentius abderent, vel pleraeque civium controversiae ad eius arbitrium componerentur. Nupturis puellabus pauperioribus eius consilio erant publice dotes adsignatae. In urbe receptum puellis aperuit inopia laborantibus, ut magisterio virginum Deo dicatarum, christianis moribus instituerentur.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

DE CRYPTA BENEDICTI PATRIS LEGIFERI AD MONTEM CASINUM . SPLENDIDO ARTIS CULTU NUPER DECORATA

Montis Casini celeberrimum illud atque notissimum coenobium nova quasi vita vivere nuper apparuit, convenientibus illuc ex omni Italia, imo ex orbe universo,

depravatione abutens, in templis, ipsisque augustissimis, ineptam insulsamque suorum operum rusticitatem impudenter proterveque explicat.

Ingenua, contra, simplicitas fere primigenia; apta linearum compositio et concinnitas; rerum congruentia et aequalitas; convenientia consensusque lucis ad colores et umbras; sublimis denique nobilisque humanae vitae per religionem informatio, cuius vi per templum omne pars aliqua saltem immensi, ut ita dicam, Christiani poematis revocetur, penitus inter se congruentibus tabulis, sculpturis, ipsaque aedificii fabrica; ut omnia simul itemque Deum loquantur et concelebrent: hae rationes, caput id ac summa novae huius Benedictinae artis scholae, quae Beuronensi ex coenobio circa an. MDCCCLXXX prollata, Beuronensis nomine distinguitur, et singularem suam perfectionis imaginem animo et cogitatione



Ex foremate sanctas Virgines referente ex Ordine S. Benedicti in crypta Casinensi.
(Beuronensis scholae specimen).

filiis eius viri, qui vitae sanctimonia, gratia et nomine vere Benedictus apparuit; ut Patris sui, eiusque sororis Scholasticae, sepulcrum merito decore exornatum dedicarent.

Eventus memorabilis est, quippe legatorum coetum congregavit ex omni illo Ordine, qui Magistri ac Legiferi sui vestigiis per saecula quindecim insistens, Christianae Crucis sub umbra, *orans et laborans*, barbarorum quascumque ruinas semper et ubique coercuit, ab eorum impetu humanitatis opera servans; quin etiam nova instituens, quae a sodalibus suis assidue culta, ea tum litterarum, tum artium specimina ediderunt, unde non semel novus ab integro studiorum processus, isque praefulgens, initium sumpserit.

Atqui ornationis species, qua crypta veneranda, ubi Benedicti Patris ossa recondita sunt, nunc splendide nitet, ea quidem est, quae lapidem huiusmodi miliarium posuisse facile dixeris; in illa scilicet christiana artis renovandae ratione, cuius necessitatem sentimus omnes, qui e puris fontibus haustum sanctae religionis nostrae cupimus sensum, et vehementer dolemus artem ipsam nomine tantum, non re esse quidem nunc sacram, quum, iudicii sanitatem sensim apud fideles corrupta, hac animi

conceptam in Casinensi crypta hodie amplissime ostendit.




Ex novis ornamentis cryptae Casinensis.

Nolo tamen ne quis eiusdem scholae specimina videntis, quae sub lectorum oculis in hisce paginis pono, me rerum praecomen insimulet, quarum communem intelligentiam fugiat vis atque notio. Scio enim notiones

Germanicorum in mente informatas longe aliter atque Italorum, ac generatim singulorum populorum esse, quorum quisque habet suos, quas sequi eum oporteat qui omne apud eives suos ferre punctum expetat; id unum contendo, artem eam in sacris esse necesse, quae ex intimo religionis sensu genita, per animorum elevacionem ad Deum educata atque confirmata, ad templum

schola rigiditate sua nondum aperire valuit, potuerunt quidem Angelicus Fesulanus eiusque discipuli animorum delectationi quandam praebere; — cum hac, inquam, sacra arte religiosi cultus nostri res omnis harmonice informata, religiosae fidei sublimi, ut nostra est, reapse inserviet; divinisque Gregorianis concentibus, quorum nunc suavitatem puleritudinemque percipere coepimus,



Musivum novum opus in crypta Casinensi. (Beuronensis scholae specimen).

unice apta, peculiarem suam, puram, severam, hieraticam formam imponat, cum arcana illa liturgiae nostrae nostrique ecclesiastici cantus gravitate apprime concordem; praecipue autem cum prece nostra, nostraque fide.

Cum huiusmodi sacra arte, — cuius intimam comprehensionem si universorum intellectui Beuronensis

tamquam naturali socio adiuncta, auxilio nobis profecto erit, ut spiritum ex terrae angustiis liberemus ac sublimem ad caelum tollamus, in Deo nos colligentes, animumque in aeternae pacis spe recreantes, ad quam sacra haec ars una cum illo cantu placide, blande invitat.

I. F.

CRYPTA VENERANDA
QUAE IN MONTE CASINO
BEATISSIMI BENEDICTI
MONACHORUM CONDITORIS AC PATRIS LEGIFERI
OSSA
A SAECULIS SERVAT

NUPERRIME INSTAURATA ET EXORNATA.

CRYPTA QUAE IN URBE NURSIA
EIUSDEM CAELITIS BEATI INCUNABULA REFERT

RECENTIBUS OPERIBUS

PARI MAGNIFICENTIA ET PIETATE

INSTAURATUR ET IPSA, AC DECORATUR,

ANNO CHR. MCMXIII.

CARMEN

BENEDICTUS qui venit in nomine Domini.
(MATTH., 25.)

Quidnam portendat, nostris quod cernimus oris,
Prodigium patrii cultus, et pignus amoris?

Quum novo et insigni prorsus fulgore nitescat

Crypta Patris sacra quae Benedicti continet ossa,

Ipsius et cunas, quas Altrix Nursia servat,
Pulvere deterso, miro splendore resurgent.

Anne novus nobis seclorum nascitur ordo,
Ut demittatur caelo Benedictus ab alto,
Visat ut Ausonias pollentes artibus urbes
Omnigenis, cives largis opibusque potentes?

Ferrea si mundum aetas, Te nascente, premebat,
Sterneret ut passim densa caligine terras,
Sol velut exoriens noctem depellit et umbras,
Italiae tu barbariem, Benedicte, fugabas.

Arma Tibi pietas dedit et sapientia lumen;
Quin, Phoebo potior, tu blanda voce piisque
Demulces modulis hominum rigidissima corda.
Quis neget heu! alias nunc incubuisse tenebras
Gentibus excultis, animos moresque protertos?
Hanc tu barbariem procul, o BENEDICTE, repelle,
Quae Italiae urbibus exitium parat, atque ruinas:
Unde Tibi grati rursus plaudemus, et aras
Iam Tibi sacras merito cingemus honore.

Albintimili.

CALLISTUS AMALBERTI.

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Stylum vertere.

Ex Horatiano illo in *Serm.*: «Saepe stylum vertas», est mutare quod scripseris. — Antiquitus, uti notum est, in tabellis ceratis scriptabant stylo graphiario, cuius altera parte, nimurum acuta, per aequor cereum ducta, litteras exarabant, altera latiore rursus oblitterabant, quod exarassent.

S. Hieronymus adversus Rufinum: «Quamdiu non renuebam laudationem tuam, sequebaris ut magistrum; fratrem et collegam vocabas, et catholicum in omnibus fatebaris. Postquam vero non agnovi laudes tuas, et me indignum tanti viri praeconio iudicavi, vertis stylum, et omnia laudata prius vituperas, de eodem ore et dulce proferens et amarum». Hieronymus imitatus est Ciceronem, qui in *Verrinarum actionum IV* sribit: «Timuit aliquando et commotus est; vertit stylum in tabulis suis; quo facto causam omnem evertit suam».

Invenitur et «stylum infigere», et «stylo appetere» pro eo quod est scriptis insectari atque invehiri.

Omne tulit punctum.

«Omne tulit punctum», itemque «cunctorum calculis» legimus pro eo quod est «omnium sententia et comprobatione». Quorum prius translatum est a consuetudine comitorum, ubi tabella circumferri consuevit, in qua punto apposito significabant, cui candidorum suffragarentur; posterius a iudiciorum sortibus. — Notum est Horatianum illud in *Art. poet.*:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci;
quibus significatur, qui iucunda modo scribant, iis dumtaxat placere, qui voluptatem appetant; contra, qui utilia, iis tantum probari qui utilitatem quaerant; at qui voluptatem cum utilitate coniunxerit, eum omnium suffragio laudari.

Idem in *Epistolis*:

Discedo Alcaeus punto illius, ille meo, quis?

Quis, nisi Callimachus?

Et in epigrammate choriambico, quod refertur a Porphyrio:

Ciconiarum Rufus iste conditor,
Hic est duobus elegantior Plancis:
Suffragiorum puncta non tulit septem.

Aristides in *Themistocle* communem Graecorum calculum dixit pro eo quod erat totius Graeciae consensus. — Cicero (*Tuscul.* II): «Quae flamma est, per quam non cucurrerunt, qui haec olim punctis singulis colligebant?» Agit nempe de magistratibus, qui singulorum civium suffragiis mandabantur. — Appuleius denique (*Asin.*, lib. VI): «Certe calculo cunctorum, utcumque mors ei fuerat destinata»; id est omnium suffragiis sententiisque.

EX BATAVIA

De exitu certaminis poetici Hoeufftiani an. MCMXII.

A Regia Nederlandica Academia haec de exitu certaminis poetici Hoeufftiani an. MCMXII ulterius accepimus, quae libenter edimus:

Exitus certaminis in hunc annum indicti hic fuit. Praemium aureum reportavit RAPHAËL CAROZZARI, poeta *Amaryllidis*. Deinde hoc ordine magna ornata laude legati Hoeufftiani sumptibus in lucem edentur haec carmina: *In funere Ioannis Pascoli* poetae PETRI ROSATI, *Alumnus Virgilii* poetae ADOLPHI GANDIGLIO, *Titanicae interitus* poetae HENRICI PADBERG, *Alma quies* poetae PETRI HELBERTI DAMSTÉ, *Duo insontes* poetae FRANCISCI SOFIA-ALESSIO, *Vox patriae* poetae ANTONII GIOVANNINI, *Aeriae vocis* poetae Ios. ALBINI.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE,
Ordinis litterariorum Academiae Regiae Nederlandicae praeses.

ACTA PONTIFICIA

Constitutio Apostolica de novo ad Lateranum Seminario deque aliis institutis in Urbe pro romano italoque clero.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

In praecipuis et maximis apostolici officii muneribus hoc Nos iam inde ab initio Pontificatus habuimus, studiose diligenterque curare, ut qui in sortem Domini vocati essent, ad tantum ministerium et virtutis et doctrinae ornatu quam plenissime instruerentur. Cuins quidem Nostrae curae illa sunt argumento: sacrae seminariorum visitationes decretae et pluribus iam locis peractae; novae, praesertim Italiae seminariis, leges datae de disciplina ac pietate refovenda deque studiis ad tempora accommodandis; aedes, item per Itiam maxime, adiuvantibus locorum Ordinariis, ab inchoato exstructae, ubi segregati a natu minoribus maiores clericorum plurimum dioecesum, qui proximi sint sacerdotio, communiter sub delectis moderatoribus et magistris exquisitiori quadam magisque sacro ordini congruentia ratione conformentur; ad haec sacro Consilio Consistoriali, cui Pontifex ipse maximus praeest, peculiaris seminariorum demandata curatio, aliaque in hoc genere opportune constituta.

Consentaneum enimvero erat, ut huius diligentiae studiique partem non postremam alma haec Urbs Nostra sibi vindicaret, ubi inter plura omnium fere nationum ephebea, sacrae iuventuti instituenda providentissime condita, floret quoque a tempore SS. Concilio Tridentino proximo seminarium Nostrum Romanum; et cum eo aliis temporibus erecta seminaria Vaticanum, Pium, SS. Ambrosii et Caroli, nec non collegia Capranicense, Leonianum, et in Romano Seminario Cerasolum; ad

quae non modo ex Urbe, sed ex tota ferme Italia alumni confluunt, rite, inspectante Sede Apostolica, ad sacra instituendi.

Ac primum omnium, quum ex relationibus Nobis factis et ex peritorum consultatione cognovimus sedes, quas Seminarium Romanum una cum Pio ad Sancti Apollinaris inhabitat, necessitatibus pares non esse, eisque carere commoditatibus rerum, quae ad tuendam adolescentium valetudinem requiruntur, de nova sede comparanda res esse videbatur. Ergo quum cogitaremus de idoneo ad aedificandum loco, menti Nobis occurrit antiquissima illa ac omnium celeberrima schola, quae in Patriarchio Lateranensi primitus instituta et dein aucta firmiusque constabilita, sanctorum ferme seminarii fuit ac tot tantosque Dei sacerdotes per saecula Ecclesiae donavit; quam ob rem in solo privato Sedis Apostolicae ad Archibasilicam Lateranensem ampliorem commodioremque domum seminario Nostro a fundamentis excitari iussimus, non sine spe vetustas Cleri Romani glorias, Deo favente, revocandi.

Hicet autem aedibus ingenti molitione exstructis, opus esse videbatur efficere, ut ipsum seminarium Romanum et alia, quae diximus, pro Italica clericis urbana seminaria et collegia mutatis temporum conditionibus iam aptius congruerent.

Quare nonnullos S. R. E. Cardinales in consilium adhibuimus, qui omnia diligenter considerarent, ac Nobis quae sibi visa essent opportuora proponerent. Itaque ipsorum Nos consulto atque ex matura deliberatione Nostra haec statuimus et iubemus:

I. — Seminarium Romanum duplex esto, minus et maius;

II. — Seminarium minus eos habeat alumnos, qui studiis litterarum in *gymnasio* dent operam; idem locum sedemque seminarii Vaticani occupet. — Ita seminarium a clarae memoriae Pontifice maximo Urbano VIII in cultum venerandae S. Petri Basilicae erectum atque ab aliis decessoribus Nostris munifice amplificatum, nunc, salvo eius fine naturaque incolumi, seminarii Romani honorem nanciscitur;

III. — Seminarium maius alumnos philosophiae ac theologiae studiia dedito complectatur; sedem vero in novis apud Archibasilicam Lateranensem aedibus habeat;

IV. — In aedes easdem seminarii Pium, a decessore Nostro sanctae memoriae Pio IX conditum, transferimus, salvis pariter, quod ad finem eius natumque pertinet, legibus conditoris;

V. — Ibidem sit SS. Ambrosii et Caroli collegium, quod Seminario Romano adiungimus;

VI. — In collegium Leonianum posthac ne recipiantur nisi sacerdotio iam initiati, qui, studiorum et amplioris eruditionis causa, sui quisque Episcopi permisso, Romam se contulerint;

VII. — Facultates philosophiae ac theologiae, ut in seminario Romano sunt a Pontificibus maximis consti-

tutae, ita in seminario majori ad Lateranum perseverent;

VIII. — Facultas vero disciplinae iuris, quae item in Seminario Romano usque adhuc fuit, iam nunc cum suis alumnis apud collegium Leonianum sit: ea tamen a seminario Romano avulsa ne habeatur, sed semper in ipsis seminarii scholis numeretur;

IX. — Academia theologica, olim in magno lyceo *Sapientiae* instituta, in aedibus ad S. Apollinaris, quas Consistoriali decreto diei xxv Ianuarii MCMXI pio operi cessimus pridem erecto in religiosa domo a SSma. Trinitate penes Curiam Innocentianam, perpetuo maneat;

X. — Legitimo studiorum curriculo in Urbe ad sacerdotium tendere iam nemini ex Italia liceat, nisi vel in Lateranensi vel in Vaticano seminario commoretur. Hac tamen lege ne ii teneantur, qui ad Evangelium infidelibus praedicandum sese in propriis Urbis collegiis parare velint; neu quibus in collegio Capranicensi, ex primigenio eius instituto, locus pateat.

Quod reliquum est, de hac exsequenda Constitutione Nostra peculiares praescriptiones mox edituri sumus; quas quidem sancte inviolateque, ut ea quae his litteris constituimus, ab omnibus servari volumus.

Iam vero divitem in misericordia Deum imploramus, ut super hanc domum, quam quasi alterum Patriarchium magnis impendiis excitavimus, oculi Eius aperti sint die ac nocte; opus a Nobis singulari studio ad Eius gloriam pro animarum salute susceptum, perficiat Ipse et confirmet; alumnisque sacri ordinis, Apostolorum principum et utriusque Ioannis patrocinio commendatis, benignus adsit, ut sacerdotes evadant integrae fidei, actuosa caritatis, probe doctrinis exulti, solide humilitate constituti, quales Ecclesia sancta omnibus sibi precibus et votis exposcit.

Haec autem statuimus et sancimus, decernentes has Nostras litteras firmas et efficaces esse ac fore, contrariis quibusvis, etiam peculiari mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum die xxix Iunii, natali SS. Apostolorum Petri et Pauli, anno Incarnationis Dominicae MCMXIII, Pontificatus Nostri decimo.

A. CARD. AGLIARDI

S. R. E. CANCELLARIUS.

C. CARD. DE LAI

SECRETARIUS S. C. CONSISTORIALIS.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

Dubia circa iuramentum antimodernisticum.

Ordinarius Verapolitanus ad oras Malabaricas in Asia, ad S. Congregationem Consistoriale dubia quae sequuntur proposuit circa iuramentum antimodernisticum, nempe:

I. — An Ordinarius in casu concedere possit sacerdotibus extra dioecesis latini ritus, a suis Ordinariis pro sua respectiva dioecesi iam adprobatis, facultatem audiendi confessiones sive pro una alterave vice sive ad aliquod plus minusve longum temporis spatium, quin cogatur ab eis denuo excipere iusiurandum praescriptum in Motu Proprio *Sacrorum Antistitum* contra modernistarum errores. — *Resp.* Affirmative.

II. — An idem possit Ordinarius, si agatur de sacerdotibus ritus syromalabarici, qui, etiamsi in suo ritu adprobati fuerint ad confessiones; nunquam tamen dictum iusiurandum praestiterunt. — *Resp.* Si agatur de facultate concedenda per modum actus transeuntis, affirmative; aliter, negative.

(Ex decr. d. xx mens. Iunii MCMXIII).

Declaratio de novis legibus a Republica S. Marini circa bona ecclesiastica conditis.

Civile Reipublicae S. Marini gubernium, nulla per tractatione cum ecclesiastica auctoritate praemissa, imo ne hac quidem praevenita, die xxvii mens. Aprilis MCMXII legem tulit, cui adiecit alias exsecutionis normas, quibus, supremum dominium in bona ecclesiastica sibi arrogans, ius sibi vindicabat bona ipsa concedendi, vel non, parochis aliisque ab auctoritate ecclesiae electis; eademque in vacatione beneficiorum occupandi; imo semel concessa, unius potestatis civilis iudicio et arbitrio, auferendi et sequestrandi, nedum « quando siansi « commesse m' lversazioni o gravi negligenze nell'am- « ministrazione; sed etiam « quando sia necessario per « motivi di ordine pubblico»; ac denique in casu va- cationis aut sequestrationis bonorum, redditus erogandi in finem alium ac a fundatione praefinitum.

Ad S. Congregationem Consistorialem delatam rem Emi. Patres semel et iterum expenderunt, ac denique, probante SSmo. Dno. N., haec quae sequuntur declaranda et publici iuris facienda iusserunt: « Memoratam legem et additas exsecutionis normas spolium constituere iuris ac status, quibus a saeculis in Republica S. Marini legitime Ecclesia fruebatur, tanta maiori offensione patratum, qua sine ullo praenuntio, sine ulla plausibili ratione statutum et consummatum est. Quae enim adducitur patrimonii ecclesiastici tuendi ratio commentitiam esse evinci, tum ex eo quod canonicae leges, si libere riteque applicentur, abunde sufficient ad conservationem rectamque bonorum ecclesiasticorum administrationem; tum ex eo quod plures legis et normarum articuli nil ad bonorum conservationem conferant, sed ad id unum intendunt, ut privationis aut sequestrationis bonorum minatione sacerdotes terreant, eisque iustum libertatem adimere et civilis potestatis ditioni et arbitrio mancipare nitantur. Quapropter eamdem legem, utpote iniustum, laesivam iustae libertatis Ecclesiae et dissolutivam ecclesiasticae disciplinae, nullo modo ab Ecclesia acceptari posse; quin imo a canonicis legibus iam esse damnatam, prout liquet ex art. XI

Const. Apostolicae *edis*, quo contra usurpantes aut sequestrantes bona ecclesiastica poenae statutae sunt».

— Dat. d. xiv mens. Iunii MCMXIII.

Ex Congregatione S. Officii (Sect. de Indulgentiis).

Dubia circa ss. numismata scapularibus sufficienda.

I. — Utrum sacerdos pollens facultate scapularia imponendi, possit unico signo crucis pro unoquoque scapulari benedicere publice omnia ss. numismata quae habent fideles in ecclesia vel in quadam conventu, quin haec numismata videantur, nec in individuo cognoscantur? — *Resp.* Affirmative.

II. — Utrum benedictio impertiri possit ss. numismatibus pro personis iam non adscriptis scapularibus per impositionem, sed postea vel serius adscribendis; quae numismata gauderent favoribus scapularium, tempore quo personae erunt adscriptae per regularem impositionem? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

III. — Utrum benedici possint numismata multa, quae distribuenda sunt quibuscumque personis, quarum aliae iam scapularibus adscriptae sunt, et aliae non adscriptae; et in hoc casu, numismata, saltem personis iam scapularibus adscriptis data, eruntne benedicta?

— *Resp.* Provisum in II.

(Ex decr. d. v mens. Iunii MCMXIII).

Decretum seu Declaratio circa pia obiecta a Summo Pontifice benedicta.

SSmus. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia r. p. d. Adscripti supremae Congregationis sancti Officii impertita d. xii mens. Iunii MCMXIII, benigne declarare dignatus est, Indulgencias, quas Ipse solet adnectere crucibus, crucifixis, rosariis, coronis, ss. numismatibus et parvis statuis, sibi a fidelibus porrectis, illas tantummodo esse intelligendas, quae in elenco, a S. C. Indulgientiarum d. xxviii mens. Augusti MCMXIII edito, recensentur quaeque apostolicae nuncupantur; nisi expressis verbis significet, alias insuper velle adnectere, v. gr., S. Birgittae, vel Crucigerorum, specificae ac nominatim eas designando.

Ex Congregatione Rituum.

Decretum de mutationibus in Breviario Romano faciendis ad normam Constitutionis Apostolicae «Divino afflatu».

Per decretum S. Rituum Congregationis *Urbis et Orbis* diei xxiii mens. Ianuarii MCMXII iniunctum fuit ut Breviariis et Missalibus Romanis iam editis et apud typographos adhuc existentibus adiiceretur fasciculus, iuxta prototypum vaticanicum adprobatus, cui titulus: «Mutationes in Breviario et Missali Romano facienda», etc., ne utriusque textus liturgici exemplaria iam impressa inutilia evaderent. Quum vero sacra eadem Congregatio ceteras omnes mutationes, ad normam Constitutionis Apostolicae *Divino afflatu* et Decretorum, tum Breviarium tum Missale Romanum concernentes

una cum praedictis iam evulgatis, non solum ad modum appendicis, sed suis locis respective adiungendas et inserendas censuerit; interim praehabito specialis Commissionis liturgicae suffragio, has mutationes, Breviarium tantum respicientes, distincte et ordinate dispositas atque collectas, sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X supremae sanctioni demisse subiecit. Sanctitas porro Sua, referente Cardinale S. Rituum Congregationi Praefecto, easdem mutationes, prout in novo existant prototypo, ratas habere et adprobare dignata est, simulque mandavit, ut ipsae, in futuris Breviarii Romani editionibus suis respectivis locis aptatae, rite inserantur. Attamen eadem Sanctitas Sua benigne indulxit, ut Breviarii Romani editiones hoc usque impressae adhuc acquiri et adhiberi licite valeant; dummodo utentes obseruent normas pro Horis canonicas persolvendis in Constitutione *Divino afflatu* aliisque Apostolicae Sedis dispositionibus praescriptas. — Dat. d. x mens. Iunii MCMXIII.

Ex Pontifica Commissione de Re Biblica.

I.

De auctore, de tempore compositionis et de historicā veritate libri Actuum Apostolorum.

Propositis sequentibus dubiis Pontifica Commissione de Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. — Utrum perspecta potissimum Ecclesiae universae traditione usque ad primaevos ecclesiasticos scriptores assurgente, attentisque internis rationibus libri Actuum sive in se, sive in sua ad tertium Evangelium relatione considerati, et praesertim mutua utriusque prologi affinitate et connexione (*Luc.* I, 1-4; *Act.* I, 1-2), ut certum tenendum sit volumen, quod titulo Actus Apostolorum praenotatur, Lucam evangelistam habere auctorem? — *Resp.* Affirmative.

II. — Utrum criticis rationibus, desumptis tum ex lingua et stylo, tum ex enarrandi modo, tum ex unitate scopi et doctrinae, demonstrari possit librum Actuum Apostolorum uni dumtaxat auctori tribui debere; ac proinde eam recentiorum scriptorum sententiam, quae tenet Lucam non esse libri auctorem unicum, sed diversos esse agnoscendos eiusdem libri auctores, quovis fundamento esse destitutam? — *Resp.* Affirmative ad utramque partem.

III. — Utrum, in specie, pericopae in Actis conspicuae, in quibus, abrupto usu tertiae personae, inducitur prima pluralis (*Wirstücke*), unitatem compositionis et authenticitatem infirmit, vel potius historice et philologice consideratae eam confirmare dicendae sint? — *Resp.* Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

IV. — Utrum, ex eo quod liber ipse, vix mentione facta biennii primae romanae Pauli captivitatis, abrupte clauditur, inferri liceat auctorem volumen alterum desperditum conscripsisse, aut conscribere intendisse, ac proinde tempus compositionis libri Actuum longe possit

post eamdem captivitatem differri; vel potius iure et merito retinendum sit, Lucam sub finem primae captivitatis romanae apostoli Pauli librum absolvisse? — *Resp.* Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

V. — Utrum, si simul considerentur tum frequens ac facile commercium quod procul dubio habuit Lucas cum primis et praecipuis ecclesiae Palaestiniensis fundatoribus nec non cum Paulo gentium Apostolo, cuius et in evangelica praedicatione adiutor et in itineribus comes fuit; tum solita eius industria et diligentia in exquirendis testibus rebusque suis oculis observandis; tum denique plerumque evidens et mirabilis consensns libri Actuum cum ipsis Pauli epistolis et cum sincerioribus historiae monumentis; certo teneri debeat, Lucam fontes omni fide dignos praemaniibus habuisse, eosque accurate, probe et fideliter adhibuisse; adeo ut plenam auctoritatem historicam sibi iure vindicet? — *Resp.* Affirmative.

VI. — Utrum difficultates quae passim obici solent tum ex factis supernaturalibus a Luca narratis; tum ex relatione quorundam sermonum, qui, cum sint compendiōse traditi, censemur conficti et circumstantiis adaptati; tum ex nonnullis locis ab historia sive profana sive biblica apparenter saltem dissentientibus; tum demum ex narrationibus quibusdam, quae sive cum ipso Actuum auctore sive cum aliis auctoribus sacris pugnare videntur; tales sint ut auctoritatem Actuum historicam in dubium revocare vel saltem aliquo modo minuere possint? — *Resp.* Negative.

II.

De auctore, de integritate et de compositionis tempore epistolarum pastoralium Pauli Apostoli.

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontifica Commissione de Re Biblica ita respondendum decrevit:

I. — Utrum prae oculis habita Ecclesiae traditione inde a primordiis universaliter firmiterque perseverante, prout multimodis ecclesiastica monumenta vetusta testantur, teneri certo debeat epistolas quae pastorales dicuntur, nempe ad Timotheum utramque et aliam ad Titum, non obstante quorundam haereticorum ausu, qui eas, utpote suo dogmati contrarias, de numero paulinarum epistolarum, nulla redditu causa, eraserunt, ab ipso apostolo Paulo fuisse conscriptas et inter genuinas et canonicas perpetuo recensitas? — *Resp.* Affirmative.

II. — Utrum hypothesis sic dicta fragmentaria, a quibusdam recentioribus criticis invecta et varie proposita, qui, nulla ceteroquin probabili ratione, immo inter se pugnantes, contendunt epistolas pastorales posteriori tempore ex fragmentis epistolarum sive ex epistoliis paulinis deperditis ab ignotis auctoribus fuisse contextas et notabiliter auctas, perspicuo et firmissimo traditionis testimonio aliquod vel leve praeiudicium inferre possit? — *Resp.* Negative.

III. — Utrum difficultates quae multifariam obiic-

solent sive ex stylo et lingua auctoris, sive ex erroribus praesertim Gnosticorum, qui uti iam tunc serpentes describuntur, sive ex statu ecclesiasticae hierarchiae, quae iam evoluta supponitur, aliaeque huiuscemodi in contrarium rationes, sententiam quae genuinitatem epistolarum pastoralium ratam certamque habet, quomodolibet infirmit? — *Resp.* Negative.

IV. — Utrum, quum non minus ex historicis rationibus quam ex ecclesiastica traditione, Ss. Patrum orientalium et occidentalium testimoniis consona, neconon ex indiciis ipsis quae tum ex abrupta conclusione libri Actuum tum ex paulinis epistolis Romae conscriptis et praesertim ex secunda ad Timotheum facile eruuntur, uti certa haberit debeat sententia de duplice romana captivitate apostoli Pauli; tuto affirmari possit epistolas pastorales conscriptas esse in illo temporis spatio quod intercedit inter liberationem a prima captivitate et mortem Apostoli? — *Resp.* Affirmative.

(Dat. d. XII mens. Iunii MCMXIII).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Iulio MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munieris gratia Pontifice de more adiverunt, SS. D. N. per mensem Iulium coram se admisit peregrinorum manus ex dioecesi Bergomensi ac Berolinensi, quibuscum plures alii Germanici cives sese congregarunt; praeterea ex Sardinia et Dalmatica regione. Ad Pontificem etiam accessit Catholicorum alumnorum acies ad nauticum ministerium addicta apud Civitates Foederatas Americae Septentrionalis.

Pontificiae electiones.

R. p. Franciscus Josephus Dautin, e Congregatione Missionariorum «de la Salette» Praefectus Apostolicus de Beatafo nominatus est.

— R. p. d. Petrus Zanolini, episcopus Fabrianen, et Matelicen, ad cathedralē ecclesiam Laudis Pompeiae transfertur.

— R. p. Philippus Maroto, Procurator generalis Congregationis Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. inter Patres Consultores Supremae S. Congregationis Sancti Officii adsciscitur.

ANNALES

Balkanicum novum discrimen.

Bellum quod inter fratres Balkanicos populos nuper exarsit, licet brevi ad finem pervenisse apparuit, id tamen fuit, ut Berolini non immerito vocatum sit omnium rerum initiatio, quae humana mente concipi possint. Bulgari, qui profecto bellicae suae virtuti nimis confiderant, contra Serbos et Graecos simul operantes in campum descendere non dubitarunt; malo tamen auspicio, quia ad Conscianam, Doiram atque Strumnitzam superati, desper-

ditisque Istip, Serres, Ghergelique oppidis, ab'atam a se omnem triumphi spem viderunt. In gravi hoc discrimine Rumeni ecce, iamdiu parati, maiores utilitates sibi optantes, favorabilem occasionem nacti, integris copiis Silistriam, Turtukai, Dobric, Balcik occupatis, Sophiam usque pergere minitantur, ubi civium iram rerum per seditionem evertendarum cupidam componere necesse est Danefium, gubernii praesidem, eiusque collegas per novos administratos Radoslawoff, Gheradieff atque Ghescioff sufficiendo, qui pacis actionem cum proxima Rumenorum civitate inire satagunt.

Neque haec satis Bulgaris; imo et Europae omnis anxietatibus. Turcae enim et ipsi, quamquam Londinensis pactionibus devincti, memoratis eventibus abutentes, ad Enos Midia constitutos sibi fines castra ponunt, deinde ad Maritza flumen progrediuntur, denique Adrianopolim ipsum urbem indefensam repente iterum occupant, eidemque suos administratos sollemniter imponunt.

Adversus audacem hanc agendi rationem, Europae civitates quid reapse agendum sit ne peiora gignantur non clare adhuc perspiciunt: dum enim in unum facile conveniunt, Turcas neque debere neque posse Adrianopoli in urbe manere, quid consilii capiendum sit ut illi illinc excedant inter se dissident. Certe rei exitus facilior eo erit, quo citius inter Balkanicos populos concordia restituatur; ad quam indutiarum consensus, qui hodie quum scribimus nunciatur, fore ut brevi adducat speramus.

Ex ultimo Oriente.

Belli rumores ex ultimo quoque Oriente insonant. In Sinis enim dum conflictiones impendere dicuntur, ob concessiones a Russico gubernio in Mongolia habitas, cives inter se intestinis discordiis digladiantur, gentibus australis magnae illius regionis oras incolentibus, rem publicam a septentrionali gubernio omnino separatam repetentibus. Quamquam huius conaminis exitus ob longe superantes ac disciplina coercitas Yuan-Sci-Kai, universae civitatis praesidis, copias non erit indubius, is tamen non sine sanguinis effusione fiet.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In Anglia apud publicorum legatorum coetum disceptatio inita de novarum navium constructione; apud Senatum lex tum de Hiberniae libertate tum de separatione, quae dicitur, inter statum et ecclesiam in Vallia rursus reiectae.

In Batavia novum administratorum collegium constitutum, praeside Bos.

In **Gallia** leges de militiae ordine atque vectigalium renovando, post longam acremque disputationem, tandem iuxta administratorum consilium ratae habitae.

In **Germania** Heeringen dynastae, bellicae rei administro, Von Falkenhain, copiarum dux, suffectus.

In **Hungaria** Beoethy, commerciorum praefecto a munere sponte recedenti, Harkany substitutus.

In **Italia** Leonardi Cattolica, praetori navalii, navalium rerum gubernationem dimittenti, Henricus Millo propraetor successit.

PER ORBEM

Die I mens. Iulii MCMXIII Italiae rex et regina ad Kiel et Stocolmam proficiscuntur, Germanorum Caesarem et Suetiorum regem visitaturi.

— d. II octoginta et tres annos natus Aquis Allobrogum moritur Victorius Henricus de Rochefort Luçai, notissimus ille et acer sive in diariis sive in publico Gallorum coetu legibus ferendis disputator.

Incendia dolo, uti creditur, facta ingentibusque cum damnis nunciantur Neo Eboraco, Vindobona et ex vico Stamboul Constantinopolitanae civitatis.

— d. V Petropoli incendium aliud diversorum comburit cum hospitibus omnibus, qui centum ac quinquaginta fuisse dicuntur!

— d. XII Chatenay Robinson ad oppidum prope Versailles, in quodam latericio, caldarium ex improviso disrumpitur magna circum tum rerum tum hominum ruina, quorum septem necantur, ac decem gravia vulnera patiuntur.

— d. XIII Montisvidei in urbe vita fungitur Petrus Ramurez, iuris peritus in latina America valde celebratus.

— d. XIV Berolini obit Gastonius De-la-Touche pictor, «novi Watteau» ex peritia sua cognomine ornatus.

— d. XV Dresdae nosocomium flammarum late praeda fit, quum tamen aegrotos omnes in tutum prospere conferre licuerit.

— d. XVI in Siculorum castro Termini sulfuris fodina incenditur; cunicularii circiter triginta spiritu intercluso extinguntur.

— d. XVIII Leith in Anglia opifices ad sarcinas levandas ex condicto ab opere recedunt, tumultusque excitant, quos manu militari sedare oportet.

— d. XX per Wurtembergensem regionem omnem terrae motus fiunt non sine aedificiorum iactura.

— d. XXIII Ubach, Hungariae in oppido, in carbonis quadam fodina, putei recens effossi ex improviso delabuntur, cunicularios quindecim in ruinis sepelientes.

— d. XXV incendium, foeda tempestate furiente exortum, Posaldes, Hispanicnm oppidum, omne solo aequat.

— d. XXVII curruum series vapore actorum Copenaghen, ex Daniae urbe capite, Esbjerg recta petens, ad Bramminge stationem ferreis axibus exit atque subvertitur, viatoribus viginti mortem aferens.

— d. XXVIII ex Belgica atrae procellae nunciantur.

— d. XXX Barcinone et per Catalauniam omnem textores, civili perturbationi studentes, seditionis ex officinis desertionem late comparare dicuntur.

AENIGMATA

I.

Ut ferar excelsus descendere vertice summo,
Unde ego conturbo murmur ab ore fluens.
Me cupit aequoreum numen; causa inde refulget,
Quae lato in regno det mihi saepe lares.
Una cavernoso multum quae pectore turget,
Horrendis lymphis comprimit atra sinum,
Cui geminum circumdo latus; bino ordine cingo,
Et stimulos addo, currat ut illa celer.
Turba virum numerosa nimis sua corpora curvat;
Flectentem video corpora saepe mihi.
Deposito primum, capitis de vertice, crine,
Artus inde suos aptius illa movet.
Deservire mihi communai dicitur ore,
Non leve plebeiae dedecus esse domus.
Et tamen illucet veteri mihi sanguine nomen
Conspicuum, quando condita Roma fuit.

A. EPIRO.

II. (vulgo REBUS):

> ferimus
< ve
D A

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis opus accipiet, cui titulus:

THOMAE VALLAURI
HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM

Aenigmata an. XVI, n. V proposita his respondent:

I) Fides; II) Fucus.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Raim. Silvan, Londino. — Iac. Costa, Dumio. — Lad. Thyssen, Dresa. — Hern. Forgeot, Nicæa ad Varum. — Claudio Lucensis. — Nic. Endrigi, Salisburgo. — P. Prado, Venetiis. — Ant. Masia, Tarragona. — I. Ciolli, Papia. — F. Wawer, Marianopoli. — B. Ferraris, Augusta Taurin. — Alb. Kain, Dublino. — Carm. Zlinezky, Cracovia. — Frid. Horwath, Vindobona. — I. Ortiz, Morelia. — Arch. Magliano, Genua. — Lud. Goux, Bituricis. — Lud. Dubois, Massilia. — Fr. Xav. Ghion, Ostunio — Iac. Gomez, Caesaraugusta. — F. X. M., Drepano.

Sortitus est praemium:

ARCHIMEDES MAGLIANO,

ad quem missum est opus, cui titulus:

FABULAE SELECTAE IOANNIS LA FONTAINE
latine conversae a FR. XAV. REUSS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMÆ. — Officinae Societatis Editricis Romanae.

AD ROMAM

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

I. MILES.

Hanc cito chartulam puer disrumpit!
Tuosque socios mone ex composito,
I raptim puer, cave ne quis resciat. (1)

SCENA VI.

MUTIUS. (*Praecedunt sacerdotes, qui velato capite et simul verba serentes inter se arcane, procedunt.*)

MUTIUS.

Vocare cunctos ad concilium placuit,
Ut aptius rebus certius remedium
Quaeramus una callidis sententiis.
Fugit nec vos divis quae sit calamitas:
Gravis diffunditur Christi perversitas,
Italiae surgunt subito provinciae,
Res omnis solvit aerumnis publica,
Et fortis aemuli currunt ad praelium.
At imperator, (semper sit incolumis!)
Vult profecturus auspicari auguriis,
Queis cognoscat qui sit finis denique.

I. SACERDOS.

Dii spernuntur a Romanis undique,
Eis sint victimae, dignae criminibus.
Iuvat levare verbis et operibus
Impios cultus victimis feralibus.

II. SACERDOS.

Iuvant quid victimae, quid sacrificia,
Ii si vivunt peccant et impunius?
Erunt in primis extirpandi funditus
Christiani! Perdendos esse existimo
Vel gladio, aut fustibus, saevis tortoribus.

III. SACERDOS.

Quid hinc? Infundimus per vias sanguinem
Prius quin perfidi contemnant numina...
Suas polluerunt manus turpitudine...
Potest quis vocibus comparare crimina,
Queis se christiani macularunt turpiter?
Suis adlecti Romani fallaciis,
Sequuntur blanduli doctrinam sedulo,
Et ipsa misit sic radices altius!
Velim...

IV. SACERDOS.

Si mitius tractabis belluam
Erit ferocior!

(1) Eum in carcere ducit et rediens suum iterum locum obtinet,

11)

III. SACERDOS.

Mactanda potius!

MUTIUS.

Simul componi in Concilium placuit
Vos, quos considero priores augures,
Quorum consilio detur sententia.
Nostis proiectum Maxentium proxime
Ad arma in Caesarem Britanniae progedi.

OMNES (adsurgentes)

Sit omen faustum proximae victoriae!

MUTIUS.

Suis exsultat in copiis merito,
Timet tamen, rogat enixe augurium
Deorum, magnis vocat sacrificiis.

I. SACERDOS.

Erunt multae diis obferendae victimae.

II. SACERDOS.

Habemus inclytos infantes nobiles...

MUTIUS.

Et Aniciorum puerum prae ceteris!

II. SACERDOS.

Diis nunc, socii, mactemus alacres.

III. SACERDOS.

Erit quid carius diis innocentia?

I. SACERDOS (ad pueros).

Huc ferte statim pueri vos vascula,
Incensum, taedas et olivarum ramulos.

(ad milites)

Huc ferte victimam sacratam Numini!

Indutam rite candidis et vestibus.

Sit haec Octavius! Quae purior hostia?

SCENA VII.

OCTAVIUS manuductus a milite, velatus panno candido.

OCTAVIUS.

Quo me, scelesti, quo me vultisducere?

MUTIUS.

Veni, puer, die... Christianis ritibus

Es initiatus? Quinimo Christianus est

Pater, materque, tota Aniciorum domus?

Aperte dic!

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.